



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

619. An Vicarius Capituli ante adventum novi Episcopi teneatur reddere rationes Capitulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Vicario commissionem ei factam, sequeretur absurdum, scilicet quod ipse Vicarius segreter se haberet in administranda iustitia in Canonicos particulares, vel dependentes ab iis.

3. Porro videtur hæc sententia negativa à fortiore procedere de Vicario Capituli, deputato à Metropolitanò in casu negligentia Capituli, nempe quod is multò minùs removeri possit ad libitum à Capitulo, utpote à quo jurisdictionis exercitium non accepit; quàmvis eundem amoveri posse à Metropolitanò pro ipsius Metropol. can. libitù, tradat Barbosa *loc. cit. num. 48.* sic resolutum restans à S. Congregatione Concilii in *Limana. 29. Septemb. 1625.* Idem cum Barbosa tenet Solorzan. *loc. cit. cap. 13. num. 65.* & Ventrigl. *loc. cit. num. 24.* qui etiam addit, in tali revocatione opus non esse requirere consensum S. Congregationis præpos. negot. Episcop. & Regul. eò quod declaratio ejusdem S. Congregationis, de qua paulò antè, decernens requirendum esse dictum consensum, loquatur tantùm de amotione faciendâ per Capitulum de Vicario electo ab ipso Capitulo.

Quæstio 617. Quenam sint justæ causæ revocandi, seu amovendi Vicarium?

R Esp. Esse sequentes Primò, quando Vicarius admodum negligens est in suo officio. Pax-Jord. *loc. cit. num. 14.* citans Boer. *decif. 153. nu. 29.* Menoch. Quar. argumento *L. finalis ff. ubi pupil. educ. L. si quos. c. de off. præf. & prator.* Secundò, si prævaricaretur in officio illud malè gerendo, iustitiam vendendo, &c. Pax Jordan. *loc. cit.* citans Bellug. in *spec. rub. 26. de priv. off. princ. in 6.* Menoch. &c. Tertio; quando appareret insufficientis in exercitio tanti muneris. Pax-Jord. *loc. cit.* citans *c. quamvis trisfe. 7. quæst. 1.* Boer. *decif. 149. num. 19.* &c. Plures istiusmodi causas magis in specie enumerat Pignat. *rom. 1. conf. 23. num. 10.* singulari quæ firmat *decif. Congreg. præpos. negot. Epif. & Regul. censentis*, eas tales esse, ob quas à Capitulo justè amoveri possit ejus Vicariustantumquam indignus, v. g. si patiatur aliquid fieri contra libertatem ecclesiasticam, in *Materana 16. Julij 1601.* si non resideat; si sit debitor Capituli; si acciperet pecuniam pro dimissoriis; si patiatur exceptiones; vel odio habeatur à populo, in una Tridentina *7. Junij 1622. in Tranen. 17. Maii 1604. in Neapol. 26. Jan. 1604.* Porro stante justâ causâ licita erit mutatio, quàmvis Capitulum jurasset non mutare; neque propterea perjurii, aut alicujus pœna reum censèbitur. Pax-Jordan. *loc. cit. nu. 15.* citans Pavin. *part. 2. qu. 10. nu. 7.* D. Anton. in *sum. part. 3. tit. 19. cap. 10. §. 2.* Sbroz. *lib. 3. qu. 32. nu. 9.* ubi tamen is loquitur de Vicario Episcopi.

* *

Quæstio 618. An, & qualiter per constitutionem secundi Vicarii censeatur revocatus prior Vicarius?

R Esp. Ubi Capitulum deputare, & simul habere potest plures æquè principales, & in solidum Vicarios, per electionem secundi non videtur revocatus prior, nisi id exprimat in constitutione secundi. Si verò non potest habere nisi unum, de amotione prioris per constitutionem secundi pari modo loquendum videtur hoc in puncto de Vicario Capitulari, ac de Vicario Episcopi, de quo vide Sbroz. *lib. 3. quæst. 33.* & dicta à nobis supra.

Quæstio 619. Num Vicarius Capitularis ante adventum novi Episcopi teneatur reddere rationes Capitulo eas exigente?

R Esp. Affirmative. Pax-Jord. *loc. cit. num. 40. & 43.* Ventrigl. *cit. 6. 2. nu. 57.* ubi: Capitulum sede vacante, etiam non expectato Episcopo, potest rationem exigere à Vicario Capitulari, & aliis officialibus, eosque pro modo culpa punire, juxta expressam S. Congregationis declarationem, quam recitat Garc. *part. 5. cap. 7. num. 23.* hisce verbis: Capitulum sede vacante potest factâ remotione Vicarii, vel aliorum officialium, illos cogere ad reddendam rationem administrationis, eosque pro culpa punire, &c. Si igitur Capitulum ad id cogere potest Vicarium, is utique ad hoc tenebitur.

Quæst. 620. Num Vicarius teneatur quoque novo Episcopo reddere rationes, non obstante quòd eas reddiderit Capitulo?

R Esp. Non solum potest Capitulum finito officio rationem exigere à Capitulari Vicario, sed etiam non obstante, quòd ratio reddita sit Capitulo, potest successor Episcopus rationem exigere à Capitulo, & ejus Vicario, qui teneatur syndacatum dare moderno Episcopo. Ventrigl. *loc. cit. nu. 53.* Pax-Jord. *cit. nu. 43.* citans Pavin. *part. 2. qu. 7. nu. 15.* Fulc. *de visitat. cap. 15. num. 31.* Quarant. &c. Diana *p. 2. tr. 4. resol. 70.* citans Vulpe. in *pr. For. eccles. cap. 44. nu. 19.* Riccium *p. 4. de vis. 291.* Et si Episcopus Vicarium illum culpabilem invenit, potest eundem punire. Ventrigl. *loc. cit. Pirh. ad tit. de off. Vicar. nu. 79.* Sbroz. *de off. Vicar. l. 3. qu. 57. nu. 12.* juxta declarationem S. Congr. Concil. quam recitat Pax-Jord. *loc. cit.* quæ sic habet: Congregatio Concilii censuit, Episcopum posse rationem administrationis officii gesti à Vicario Capituli sede vacante constituto exigere, atque alicujus delicti reum compertum punire, auctoritate sibi tributâ à decreto Concilii, *cap. 16. sess. 24.* Idque etiam si à Capitulo fuisset absolutus. Pirh-Sbroz. *locis cit.* juxta ejusdem S. Congreg. declarationem, quam recitat Garcias *p. 5. c. 7. n. 23.* Colliguntur hæc omnia ex Tridentino *loc. cit.* ubi sic habet: